

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica jubilate

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

DOMINICA JUBILATE.

*Evangelium, Joh. 16. v. 16. - 23.*

EXORDIUM.

**S**icut olim Rex Saul à Spiritu malo, qui est Spiritus mœroris, angore animi exagitatus fuit, idque ob maleferiatam conscientiam: Ita ex adverso David, præ animi voluptate gavisus, Cythara lusit, gaudebat enim in variis suis ærumnis conscientia bonæ voluntatis, quæ jubeat convivium, Prov. 15. vers. 15.

In prælecta Pericope Servator Regni sui confortibus varias tribulationes & persecutiones annunciat, quas in mundo immundo præ se habituri sint, attamen vicissim consolatur eos, ne animis cadant, sed Davidis Cythara arrepta, Spiritu ferventes, spe gaudentes, & in tribulatione patientes semper sint, Rom. 12. v. 12. ait enim ille ad Discipulos: Vos nunc quidem tristitiam habetis, Verum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Hinc pii Veteres hodiernam Dominicam suavi nomine insigniverunt, dum eam Dominicam *Jubilate* appellarunt, ex Psal. 66. v. 2. *Jubilate Deo omnis terra, Psalmum dicite nomini ejus.* Quamvis enim tribulationes & calamitates piis non desint, siquidem Evangelium verbum crucis est, 1. Cor. 1. v. 18. attamen animus bene conscius optimum eorum est solatium, & quia non patiuntur, quasi homicidæ, aut

fures aut malefici, sed ut Christiani, non habent quod erubescant, 1. Petr. 4. vers. 15. sed lætantur potius, quod digni habeantur pro nomine Jesu contumeliam pati, Act. 5. v. 41.

Impii vero, qui mundo serviunt, & in concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ gaudium & delicias quærunt, ut dives epulo, Luc. 16. v. 19. destituuntur verò internapace, & conscientia furis die nocteque agitantur: exterritus coram hominibus, utur lætitiâ ostentent, & Jubilate cantent: attamen tristem tandem sortiuntur exitum: Ubi enim mensuram suam peccatis repleverint, & ritu mundano ætatem suam transegerint: tandem fletus & stridor dentium sequetur, quod sentient in æternum, Matth. 22. vers. 14.

Quo hoc ipsum melius discamus, ad prælectam Pericopen accedemus, vituri

- I. *Triplicem Querelam.*
- II. *Triplicem Medelam.*
- III. *Triplicem Cautelam.*

J.J.

*Exegesis.*

**Q**uemadmodum stellæ in firmamento, non interdiu, sed noctu visuntur: Ita & internus Christiani ornatus non tam

tam in prosperis, quam in adversis perspicitur: Tribulatio enim patientiam operatur, Rom. 5. v. 3.

Propterea Servator ad discipulos suos multas præclaras Conciones de cruce habuit, ex quibus prælectum Evangelium non ultimum, quod ad nostram doctrinam scriptum est, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, Rom. 15. 4. & compatiamur Christo, ut & conglorificemur, Rom. 8. v. 17.

*Quærela respicit*

I. *Triste modicum*, quod tamen non est modicum, sed sæpe diuturnum, ut pii subinde animis fere cadant, lamentantes cum Habacuc: Usquequo Domine clamabo, & non exaudies? Hab. 1. v. 1. Imprimis quando dulcissimus Servator faciem abscondere, & lapidibus quadris concludere vias nostras videtur, ut oratio penetrare nequeat, Thren. 3. v. 9. Qualem mulieri Cananæ se exhibuit, Matth. 15. vers. 22. hinc *Querelæ*: Tribulationes cordis mei dilatatae, Psal. 25. vers. 17. factus sum, sicut homo, sine adjutorio, Psal. 88. v. 5. suspendium, suspendium, Job. 7. 15.

Ejusmodi tentatio hodie non infrequens est. Vivimus enim in mundo, de quo Christus ait in mundo pressuram habebitis, Joh. 16. v. ult. Et est mare calamitatum, in quo animæ & vitæ nostræ navicula à procellis tribulationum & persecutionum agitur, ut modo usque ad cælos ascendamus, modo descendamus usque ad abyssos, & anima nostra in malis tabescat, Psal. 107. v. 23. Est vallis lachrymarum, in qua fontes lachrymarum efficere cogimur, Psal. 84. v. 7. est domus luctus, Ecel. 7. v. 3. habitaculum mæroris, Mich. 1. v. 10. est

est nosocomium, quod undiquaque infirmis repletum est.

Verum immane quantum est inter pios & impios. Respectu piorum enim ejusmodi tentatio nihil aliud est, quam examen fidei, quod Deus cum illis instituit, ut videat, an constantes esse velint: Sicut in Academicis moris est, ut nemo in Doctorem creetur, nisi antea examina diversa subierit, & sustinuerit, hinc Siracides: Qui non est expectus, pauca recognoscit, Sir. 34. v. 10.

Deinde quoque respectu piorum sæpe magnam pusillanimitatem efficit tentatio. Acres enim opposites habent. Deus mutatur ipsis in crudelem, Job. 30. v. 21. Diabolus tela sua habet ignita, quibus corda ejusmodi afflicta petit, Eph. 6. v. 16. & licet dictum aliquod consolatorium artipiant, attamen ipsis tot objectiones movet, ut cogitent, nihil ad se pertinere, esse se gratia divina indignos, unde sæpe dubitant de promissionibus divinis, præcipue vero quando crux diutius durat, & hora auxilii, ultra expectationem differtur. Verum interea Deus manu sua robusta eos sustentat, ne plane collabascant: sed quando eos satis probavit in fornace miseriæ, extrahit, & quasi hostiam Holocausti accipit eos, Sap. 3. v. 6.

Longe aliter cum illis se res habet, qui peccato illudunt, Prov. 14. v. 9. & incessabilis delicti sunt, 2. Petr. 2. v. 14. quorum profanæ sunt viæ omni tempore, alta sunt judicia Dei coram ipsis, Psal. 10. v. 5. quando illi in afflictiones & tentationes incidunt, & Deus faciem suam abscondit, indicium est, quod defessus sit misereri, Jer. 15. v. 7. & quia ante, ubi ipsis penitentiam

& re-

& remissionem peccatorum annunciari si-  
vir, venire renuerunt: Ille vicissim manum  
suam retrahit, ut in desperatione pereant,  
& absumentur à terrore, Psal. 73. v. 19.

Quod si igitur benevolum in cœlis Pa-  
trem habere & retinere velitis, non pigeat  
vos, quando modicum nunc, si oportet,  
contristamini in variis tentationibus, 1.  
Petr. 1. v. 6. Dominus fidelis & justus est,  
qui non patietur vos tentari supra id, quod  
potestis, 1. Corinth. 10. vers. 13. Quoni-  
am momentum in indignatione ejus,  
& vita in voluntate ejus. Ad ves-  
perum demorabitur fletus: & ad matu-  
tinum jubilatio, Psal. 30. v. 6. Verum cave-  
te, ne obduretis corda vestra, sicut in Me-  
riba, secundum diem tentationis in deser-  
to, Psal. 95. v. 8. & adhuc hodie sit omnibus  
illis, qui castigationem respuunt, dicentes:  
Manda remanda, manda, remanda, Esa.  
28. v. 10. sermonem quem locutus es ad  
nos in nomine Domini, non audiemus ex-  
te: sed facientes faciemus omne verbum,  
quod egredietur de ore nostro, Jer. 44. v.  
16. ideo vicissim malis immeriti auxilium  
expectent oportet, & quidem frustra, ut in  
Antiocho exemplum habemus, 2. Maccab.  
9. v. 12. Prov. 1. v. 24.

II. *Piorum Martyrium*, de quo Domi-  
nus: Plorabitis & flebitis vos, mundus au-  
tem gaudebit: & explicat eleganti similitu-  
dine à parturiente desumpta. Quemadmo-  
dum enim Deus propter peccatum puer-  
peris tantos dolores imposuit, ut sæpe ma-  
ter cum foetu expiret. Ita nos quoque sæpe  
in tantas angustias, atque angores conjici-  
mur, ut auxilii inopes ignoremus, quid a-  
gere debeamus, uti Josaphat, 2. Chron.

20. v. 12. gementes quasi parturiens, Mich.  
4. v. 10.

In Papatu Monachi sibiipsis crucem  
fabricant, dum corpus flagellant, aliisque  
modis affligunt. Verum exprobrabitur ipsis  
aliquando: Quis requisivit hæc à manibus  
vestris? Esa. 1. v. 12. Crux piis non accerfen-  
da est, sed sua sponte venit. Satanas siqui-  
dem indefesse expetit, ut cribret nos sicut  
triticum, Luc. 22. v. 31. hinc sæpe angustia  
infernii inveniunt nos, Psal. 116. v. 3. ut ma-  
num super lumbum ponamus quasi par-  
turiens, Jer. 30. v. 6. & castigatio nostra in  
matutinis, Psal. 73. v. 19.

Hoc nobis curandum est, ut crucem pa-  
tienter suscipiamus, idque unice à Deo pe-  
tendum. Patientia vobis necessaria est, ut  
voluntatem Dei facientes, reportetis re-  
promissionem, Hebr. 10. v. 36.

III. *Mundi gaudium*. Mundus enim  
gaudebit, ait Servator. Id adhuc hodie ex-  
perientia probat: Quando enim pii lugent,  
impii contra florent, juxta adagium: Je är,  
ger Strick / je besser Gstick. Quod ipsum  
sanctos Dei homines non parum offendit.  
Quare via impiorum prosperatur: bene  
est omnibus, qui prævaricantur & inique  
agunt: quærit Jeremias, cap. 12. v. 1. Vide  
Job. 21. v. 6. seqq. Psal. 73. v. 4. seqq. Hab. 1.  
v. 3. & passim. Verum quando sanctuarium  
Dei intramus, & novissima eorum intelli-  
gimus, clausula sequitur luctuosissima,  
Risus dolore miscebitur, & extrema gau-  
dii luctus occupat, Prov. 14. vers. 13. Ut  
exemplum divitis Epulonis satis probat,  
Luc. 16. v. 23.

Jam peccata cum voluptate patrant, &  
in malitiis suis gloriantur, Jerem. 11.  
vers. 15.

Verum in fine videbitur cujus toni. Gloria enim, & honor & incorruptio quærentibus, secundum patientiam boni operis, vitam æternam; his autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, ira & indignatio. Rom. 2. v. 7.

Deus noster hunc processum cum fidelibus suis instituit, ut afflictionem præmittat, gaudium sequatur. Nemo enim coronatur, nisi legitime certaverit, 2. Tim. 2. vers. 5. & per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei, Act. 14. vers. 22.

Diabolus vero vice versa sibi servientibus, honores, divitias & gloriam pollicetur, quibus & fruuntur, sicut de Sodomitis dicitur: saturitas panis & felicitas tranquillitatis, Ezech. 26. vers. 49. Verum quando mundo valedicunt, locum habet: Habent mercedem suam, Matth. 6. v. 2. abeunt enim ad progeniem Patrum suorum, & usque in æternum non vident lucem, Psal. 49. v. 20.

Quod si tibi tuæ semitæ ostenderentur, quarum altera per pratum floridum duceret ad patibulum: altera per montem declivem ad regiam arcem, quam quæso eligeres? Nonne laboriosam ad arcem? Sic satius omnino est, hic cum Sanctis Dei affligi, quam cum mundo lætari: illud excipit æterna lætitia, hoc sempiterna miseria.

Sicut enim is, qui montem conscendit, deinde quiete fruitur, & lætatur: Sic & nos si cum Christo montem crucis superaverimus, requiescimus ab omnibus laboribus nostris, Apoc. 14. v. 13. & in regia Christi arce, de adpectu Dei lætabimur in æternum, Psal. 17. v. ult.

## De Secundo.

Sequitur *Medula*, quæ oritur  
1. Ex crucis descriptione, quæ fidelibus in hoc mundo obvenit,

1. *Ratione durationis.* Christus enim vocat modicum, quod & revera est. Licet enim nonnunquam longiusculum videatur nobis, si non dicam ad menses, sed ad annos aliquot se extendat: attamen hoc nihil derogat. Ante Dei enim oculos mille anni sunt, tanquam dies hesternæ, quæ præterit, & custodia in nocte, Psal. 90. v. 5. Nulla quoque inter Passionem temporalem, & æternam gloriam est proportio. Numerus enim dierum hominum, ut multum centum anni, quasi guttæ aquæ maris deputati sunt, & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi, Sir. 18. vers. 9.

Servivit Jacob pro Rachel septem annis: & videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine, Gen. 29. v. 20.

Sic & nos Domino fideliter serviamus in functione nostra, crucem æquo animo juxta sustinentes, quò formosa Rachel portiamur, nempe vita æterna, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo, Tob. 2. v. 18. Non enim sunt Passionibus hujus mundi condignæ ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, Rom. 8. v. 18.

2. *Ratione operationis.* Quando Diabolus & mundus Christum devorare & extirpare satagunt, vel inviti abiturum ejus ad Patrem promovent: Sic & tribulatio salutem nostram promovet. Occideris me, beaveris me, inquit Polycarpus.

Mori

Mori enim Christianorum lucrum est ,  
Phil. 1. vers. 21.

2. *Ratione Compensationis.* Sicut enim mulier parturiens non perpetuos dolores patitur, sed & refrigerium suum habet, & cum peperit puerum, jam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum: ita Ecclesia in his terris est veluti mulier parturiens, Apoc. 12. v. 1. & hora ejus quotidie venit, ut nihil nisi pericula & præsentissimam mortem ante oculos habeat, præcipue in ultimis his temporibus, ubi Diabolus vehementer furit, quia scit, quod modicum tempus habet, Apoc. 12. v. 12. Verum hoc solatio & gaudio ipsa fruitur, quod dolore & lamentatione ejus, quotidie novi homines subinde nascantur, qui quidem & ipsi in lachrymis seminant, sed portant pretiosa semina, & aliquando cum exultatione venientes venient, portantes manipulos suos, Ps. 125. v. ult.

II. *Ex Christi prædictione.* Repetitò enim Christus asseverat, Amen, Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos. Hinc apparet, quod nihil fortuito nobis obvenire possit: sed ut Christus caput est Ecclesiæ suæ, Eph. 4. v. 16. ita oculi ejus prævident, & lingua ejus prædicat, quod absque voluntate ejus, minimus capillus capitis lædi nobis non possit, Matth. 10. v. 30. Neque enim in Diaboli vel Tyrannorum potestate est, ut nos affligant, vel occidant. Christus est Dominus crucis, qui omnia pro libitu suo dirigit. Ipse vocat crucem. 2. Reg. 8. v. 1. immittit, 2. Sam. 24. v. 15. quin & funiculum tendit, & quasi demetitur, quousque extendere se debeat, Thren. 2. v. 8. Quia non in sempiternum repellet Do-

minus, etiamsi affligit: & miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum. Non enim excruciat homines ex corde suo, Thren. 3. v. 31. sed quod agit, bono eorum agit, ut hoc modo à peccatis definant, 1. Petr. 4. v. 2. ad orationem excitentur, Esa. 26. v. 20. & ad salutem promoveantur, 1. Cor. 11. v. 19.

III. *Ex certâ evictione:* quod non semper cruce gravari, sed & eluctari rursus, & gaudio affici debeant. Eò spectat: Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à nobis.

Hæc beara illa Metamorphosis, quo crucem nostram aliquando excipiet, de quo nil dubitemus, Dominus enim dixit, quem impossibile est mentiri, Hebr. 6. vers. 18.

Cum Josua Israëlitas in Palæstinam duceret, gaudio propterea superfundebatur, prædicabatque coram omni populo, quod Dominus verbum suum implevisset, dicens: Ne unum quidem verbum, quod illis præstiturum se esse Dominus promisit, irritum fuit: sed rebus expleta sunt omnia, Jos. 21. v. 45.

Quando nos aliquando superatis hujus vitæ miseriis, coram facie Dei in cælo apparebimus, multo magis causam habebimus veritatem ejus deprædicandi, dicentes cum Regina Arabiæ: Vincit præsentia factum, 1. Reg. 10. v. 7.

Huc igitur oculos nostros convertemus, nec moleste feramus, si in hoc mundo tribulatio nobis obveniat, certandum est, pugnandum est: Corona justitiæ, 2. Tim. 4. vers. 8. Corona vitæ, Apoc.

roc. 2. v. 11. immarcessibilis corona gloriæ ,  
1. Petr. 5. v. 4. certissime exantlato certami-  
ne, sequetur.

## De Tertio.

SEquitur *Cautela*, quæ tribus absolvitur  
Regulis, quarum

1. *Crucem patienter tolera.* Omnes enim  
qui pie vivere volunt in Christo Jesu, per-  
secutionem patientur, 2. Tim. 3. v. 12. Et  
veluti Iscariotæ, cum mare rubrum trans-  
gressi essent, non statim Palæstinam ingre-  
diebantur: sed ante in deserto errabant. U-  
bi famem & sitim sustinere, & cum trucu-  
lenti hostibus decertare cogebantur, Exod. 15. & seqq. cap. Idem nobis accidit,  
quando per mare rubrum baptismi transi-  
vimus, ubi non statim in cœlestem Palæsti-  
nam pertingimus, sed ante in eremo hujus  
mundi multa adversa sustinere, & cum  
Diabolo mundo & carne certare tenemur,  
dum in requiem veniamus, & coronam ju-  
stitiæ, quæ omnibus bonis athletis reposita  
est, consequamur, 2. Tim. 4. v. 8.

Hic audimus Christum ad discipulos  
loquentem: *κλαύετε καὶ θρηνήσετε.* Hoc  
universale est prognosticum, quod in om-  
nibus piis impletur: primam vocem emit-  
timus plorantes, Sap. 7. v. 4. & licet quan-  
doque Deus nobis risum faciat, Gen. 21. v.  
6. attamen, rara hora brevis mora. Sumus  
hic in valle lachrymarum, ubi pane la-  
chrymarum cibamur, & sæpe lachrymis  
copiose potamur, Psal. 80. v. 6. Optimum  
ergo est, ut idem patienter feramus, juxta  
illud Sir. 2. v. 1. 5.

In pluvia iter facienti, non mirum videri  
debet, si humescat. Sic vita nostra peregrina-

natio est, Gen. 27. v. 9. ideo non semper  
Solis amabili vultu frui possumus, sed  
quandoque imbres & nimbos sustinere  
cogimur. Sicut vero viator hæc spe ali-  
tur, eum, qui se humectavit, vicissim se sic-  
caturum: Sic & nos cogitemus, eum  
qui nobis onus imposuit, nos quoque rur-  
sus exoneraturum esse, Pl. 68. v. 20. Tob. 3.  
vers. 22.

In bello militantibus, non ægre referen-  
dum, si à globulis & sagittis undiquaque  
impetantur: Vita nostra nihil aliud, quam  
militia est, ubi cum Diabolo, mundo &  
carne nobis pugnandum, qui certatim sa-  
gittas suas in nos detorquent, ut recte cum  
Paulo dicamus: intus pavores, foris pug-  
næ, 2. Cor. 7. v. 5. Id nos non perturbet, sed  
excipiamus sagittas illas in patientia, &  
scuto fidei eas extinguamus, quo omni-  
bus perfectis palmam obtineamus, Eph. 6.  
vers. 13.

Qui Christi discipulus & Regni socius  
esse cupit, colorem ejus non averfari, sed  
stigmata ejus in corpore suo portare de-  
bet, Gal. 6. vers. 16. & tandem corpori  
claritatis ejus configurabitur, Philip. 3.  
vers. ult.

Id omnes Sancti ab exordio mundi ex-  
perti sunt, nemo exemptus fuit, ideo facile  
ratiocinari possumus, quod non melio-  
res simus, quam patres nostri, 1. Reg. 15. v. 5.  
& propterea demensum nostrum etiam  
habitura, Act. 9. v. 16.

- - Sic iter ad astra.

Nam fidelis sermo: si commortui fue-  
rimus, & convivemus, & c. 2. Tim. 2.  
v. 11. 12.

II. *Verba Christi pondera.* Exemplo sint  
Apo-

Apostoli, qui verba Christi studiose ponderant: Aliqui totum sermonem examinant, aliqui verò in verbo modicum momentum versari putant, tandem post assiduam trutinacionem rudicatem suam profitentur, dicentes: Nescimus, quid loquitur. Interim diligentia probanda est, quod concionem Christi auscultaverint, & de vero sensu percipiendo laboraverint.

Quando Israelitæ Deo sacrificium offerre volebant, de pecoribus, quæ ruminabant, & divisam ungulam habebant, fieri id oportuit, cætera sacrificare iis integrum non fuit, Levit. 11. v. 3. seqq.

Nos Christiani omnes spirituales Israelitæ sumus, & quando ex debito nostro agere volumus, quotidie Deo sacrificia spiritualia offerre tenemur; quæ quidem diversa sunt, sicut in V. Test. diversa erant.

1. *Holocausta*: ut ignem amoris erga Deum & proximum in arâ cordis nostri semper alamus, ne unquam ille extinguatur. Fides enim per caritatem efficax est, Gal. 5. v. 6. ubi igitur caritas deficit, fides ipsa deficit: ubi verò fides non est, non poterimus Deo placere, Hebr. 11. v. 6.

2. *Odorifera*: ut thus orationis manè & vesperi Deo in odorem suavitatis adoleamus, id quod ipse mandavit: Invoca me in die tribulationis, Psal. 50. v. 15.

3. *Retributoria*. Coronat enim nos quasi scuto bonitatis suæ, Psal. 5. v. 13. ideo æquum est ut id agnoscamus, & ad declarandum gratum nostrum animum, ipsi reddamus vitulos laborum nostrorum, Os. 14. v. 3. id placebit ei super juvencum, cor-

nua producentem & ungulas, Psal. 69. v. 33. Ps. 50. v. 23.

4. *Levanda*. Ut de substantiâ nostrâ cum pauperâ illâ vidua, quicquam in Gazophylacium mittamus, Luc. 21. v. 2. & pauperibus distribuamus. Talibus enim hostiis placetur Deo, Hebr. 13. v. 16.

5. *Hostia integra*. Ut juxta admonitionem Apostoli exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, Rom. 12. v. 2. hoc fiet, si de pecoribus mundis sacrificia nostra exhibeamus, ita ut abiciamus omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, Jac. 1. v. 21. & 26.

Israelitæ de pecoribus ruminantibus, & divisam ungulam habentibus Deo sacrificare tenebantur. Sic & Christiani veri divisam ungulam habeant, h. e. bonum de malo, lucem de tenebris, & mendacium de veritate discernere discant, probent Spiritus si ex Deo sint, 1. Joh. 4. v. 1. sciant, quomodo unicuique responderi oporteat, Col. 4. 62. spiritualibus spiritualia comparant, 1. Cor. 2. v. 13.

Deindè quoque abundantius observent ea, quæ audiverunt, ne fortè verbum præterfluat, Hebr. 2. 1. Auditor verbi similis debet esse animalibus, quæ ab hoc, quia ruminant, pura esse dicuntur, ut non sit piger de his cogitare, quæ in alto corde accipit, ait Augustinus. Beati, qui verbum Dei audiunt, & custodiunt, Luc. 11. v. 28.

Quod si factum fuerit, non sine fructu verbum erit, juxta illud Esa. 55. v. 10.

III. *Æterna gaudia desiderata*. Eò respicit Christus dicens discipulis suis: Vos conturbabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium,

Id & nos si afflictio ingruat, observemus oportet. Quemadmodum enim eum, qui cœcutit, oculos suos avertere oportet ab eo, quod ipsi nociferum est, & colore viridi se oblectare convenit: Ita etiam non dolores, sed cum Moseremuneracionem adspiciamus, Hebr. 11. v. 26. reminiscentes, quod momentanea levitas tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operetur in nobis, 2. Cor. 4. v. 17.

In hâc vita multilætitiam simulant, qui tamen sub corde dolorem premunt, quod Mardochai in gloria suâ fecisse, probabile est, Esth. 6. v. 11.

Ita gaudium in vita æternâ non erit, sed ex corde proficietur, in cor reflectetur, & in omnia membra se diffundet. Itcirco Christus hîc ait: Gaudebit cor vestrum: aut, ut alibi Scriptura loquitur: Anima vestra delectabitur in pinguedine, Esa. 55. v. 2. Cor vestrum, & caro vestra exultabit ad Deum vivum, Psal. 83. v. 3.

Cordis gaudium superat omne gaudium: sicut etiam cordis dolor superat omnem dolorem. Cor enim, quod novit amaritudinem animæ suæ, non delectabitur in extraneo gaudio, Prov. 14. v. 10. Jam verò in vitâ æternâ complebuntur dies lætus nostri, Esa. 60. & verum cordis gaudium inchoabitur, ubi oculi jucundo SS. Trinitatis adspectu, aures concentu Angelorum, labia colloquio Electorum exhilarabuntur, ibi in nomine ejus exultabimus tota die, Psal. 89. v. 13.

In hac vitâ, juxtâ Poetam:

- - - Miscentur tristia lætis.

Sæpè convivia fiunt homicidia, vide 2. Sam. 13. v. 28. & nuptiæ tristitiæ, 1. Macc. 9. v. 37. seqq. Quin adhuc hodiè malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ, Sir. 11. v. 29. Verum in vita æternâ omnis lætus noster in gaudium vertetur, ut non moveamur vehementer, Psal. 62. v. 3. Non audietur ultrâ violentia, Esa. 60. v. 18: non videbimus malum, sed sedebimus in habitatione pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requiesecuritatibus, Esa. 32. v. 18.

In hâc vita nullum gaudium stabile est, idcirco vult Paulus, ut qui mundo hoc utuntur, sint, tanquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi, 1. Corinth. 7. v. 31.

Sed gaudium vitæ æternæ non auferetur à nobis, erit enim ibi abundantia gaudiorum & delectationes in æternum, Psal. 16. v. ult.

Ed respicite, Dilecti, quando in hoc mundo miseris subjecti estis, tanquam avicula solitaria in tecto, Psal. 102. v. 8. omnium peripsema, 1. Corinth. 4. v. 13. Misera, tempestate convulsa, absque omni consolatione, Esa. 54. v. 11. Este bono animo, tempus refrigerii non procul abest, Act. 3. v. 20. ibi, qui in lacrymis seminarunt, cum jubilatione metent, Psal. 126. v. 5.

Hinc Ecclesia:

At multa vos post tristia,

Æterna agetis gaudia,

Hoc unice spectandum:

Non ullus est mortalium,

Qui ponderabit præmium

Vobis quod expectandum.

Amen.

DOMI.